



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXV. Cur Manum Puellæ Christus tenuerit? Dominica XXIII. Post
Pentecosten. Tenuit manum ejus. Matth. 9. v. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXV.

Cur Manum Puellæ CHRISTUS
tenuerit?

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Tenuit manum ejus. Matth. 9. v. 25.

§. I.
Poterat
Christo si-
ne admi-
niculo ma-
nis resus-
citare pu-
ellam.



Quod David de se ce-
cinit, meliori jure
de se repetere Jairi
filia potuit & inter
prima gratiarum
verba Sospitatori
suo JESU accinere:
**DEus meus es tu, in manibus tuis sor-
tes meæ** Pl. 30. v. 18. non mihi for-
tuitò vita rediit, sed à gratiosa tua
Optime maxime JESU præsentia & à
vitalibus manibus, quibus meas
contingere dignatus es, emanavit.
in manibus tuis sortes meæ, vel ut ha-
bent Hebræa, *in manibus tuis tempo-
ra mea* cum præteritis præsentia,
cum præsentibus futura, cum finit-
is infinita. in his manib9 meam le-
go vitæ lineam, veramque teneo
felicitatem, quam nemo tollere po-
terit, nisi me tuis tollat de manibus.
Poterat Christus solo vivæ vocis o-
raculo puellam resuscitare, ut po-
stea Lazarum è monumento fœti-
dum evocavit, poterat vitalem in-
halare spiritum, sicut primitus inspi-
ravit in Protoparentem nostrum
vitæ spiritum, ut fieret in animam
viventem, placuit nihilominus ma-
num suam adhibere, manûque
puellæ jungere ex causa, nî fallor,

quintuplici, quam breviter indi-
gitabo.

In promptu prima impositæ
manûs causa est, ut desiderio Archi-
synagogi satis fieret, eoque modò
resuscitaretur filia, quo pater petie-
rat, dixerat enim: *Veni impone ma-
num tuam super eam.* v. 18. Manum
Christi imploraverat Jairus, quia re-
cordabatur, quòd suis hominem
manibus DEUS in principio formâ-
rit, illudque Jobi altè imbiberat:
*manus tuæ fecerunt me & plasma ve-
runt me totum in circuitu.* quare ma-
num imponi postulavit, ut destru-
ctum divinæ potentia opus ab eo-
dem Artifice eodémque instrumen-
to repararetur: *quia qui posuit* (ver-
ba D. Paschalii) *cum formaret ex ni-
hilo deposuit. rogat itaque ut imponat
iterum manum, & reformet eam de
perditione.* Clarius D. Chryfolo-
gus serm. 33. *credidit ergo DEO* (Jai-
rus) *quia eadem manu, quâ creatam
senferat filiam, recreari ac reduci posse
ad vitam noverat: Veni & impone
manum tuam, ut qui sponte posuit ad
creandum, ad reparandum iterum ex-
oratus imponat.* habet enim DEUS
in more positum, ut primam bene-
volentiam multis beneficiorum in-

§. 2.
Causa 1. ut
satisficeret
petitioni
Patris.

Job. 10.
v. 8.

S. Paschas.
l. 5. in
Matth.

T

cre-

Problemata P. Philippi Hartung.

crementis augeat ac multiplicet & plusquam perfecti operis auctoritatem sese esse demonstret. & verò manum Homo-DEus imposuit, votum Patris modumque præscriptum implevit, defunctam redanimavit, eoque mysterio docuit, quòd postulata nostra concedat ad eum modum, quem petimus ac desideramus. Desiderarat leprosus solo voluntatis divinæ imperio se mundari: *Domine si vis potes.* & mox reposuit Salvator: *Volo. mundare.* Illud mirabile (admirabundus exclamat Ambrosius) quòd eo sanavit genere, quo fuerat obsecratus. Certè tot signa (subjungit D. Chrysostomus) & talia operatus, nunquam hoc verbo usus refertur. Hic verò ut de potestate sua opinionem & leprosi sanaret & populi, addidit: *Volo.* Mirabilis certè DEi nostri humanitas, quòd in benefaciendo modum non determinet, sed servet ab exorante designatum. Ibat Hebræorum heroina Judith ad Assyriorum castra obfirmato in Holofernis necem animo, quam priusquam inferret, in hæc verba DEum legitur allocuta: *hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.* Cur pugionem Herois nostra non assumit aut certè novaculam, quo guttur pro barba tyranno abradat? cur inermis progreditur? nimirum longâ prius oratione ad DEum pro populi Israëliti salute, hostiùmque extirpatione sese Judith armârat, atque inter cetera DEum ita fuerat precata: *Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur.* adeoque spem ingentem magnanima mulier conceperat fore, ut alio non egeret gladio quàm Holofernis proprio, quia perbellè divinitatis nôrat genium, quòd non tantum votis annuere dignetur nostris, sed nostrum quoque observare modum, quo nobis beneficium conferri po-

stulamus. *Veni impone manum;* venit JESUS imposuit, sanavit; nec tantum Jairi precibus respondit, sed plus insuper præstitit, quàm fuerat petatum.

Manum enim suam imponere rogatus, manum insuper demortuæ apprehendit, inque vitæ viam de regione mortis manuduxit. Similiter Centurioni petenti verbum unicum in sanitatem pueri proferret: *tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* non modò verbum Christus non negavit, sed & descensurum se Capharnaum promisit; Regulo verò pro corporea filii salute roganti non tantum vitam prorogavit, sed & spiritualem tam filio quàm toti familiæ impertit. Paralytico quoque non tantum corporis, quam solam expetierat, sed & animæ tribuit sanitatem. Nimirum *uberior est gratia quàm precatio, semper enim Dominus plus tribuit quàm rogatur* inquit D. Ambrosius L. 10. in Luc. 23. v. 42. ad illa verba: *Hodie mecum eris in Paradiso, ille rogabat ut memor sui esset, de Domino autem sequitur & dixit illi JESUS: hodie meum eris in paradiso.* Dilata ostium, dicebat in persona Dei Pfaltes regius & implebo illud, in quæ verba Origenes: *siquid voles petere, pete & plura exhibebo, quàm petas.* Dilata cor tuum voluntatis affectu, ut interpretatur D. Athanasius, & implebitur eâ mensurâ, quam ipsemet Dominus præscripsit Luc. 6. c. 18. *Mensuram bonam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum,* quantumcunque dilatemus desideria, nihilominus DEus donis suis superabundabit, & postulatis majora præstabit. Clamabat Moyses ad dominum pro populi libertate, cum Pharao à tergo immineret & acinacem in inermes stringeret, at DEus dives in misericordia

§. 3.
Plus confert DEus quàm rogetur.

S. Ambr. l. 5. in Luc. S. Chrysost. hom. 26.

Judith. 13. v. 7.

PL 80. v. 11

cordia non tantum ea concessit, quæ pro ingrati libertate populi postulabantur, sed multa alia attribuit, quæ nulli omnium venerant in mentem, aurea videlicet spolia, supellestem prædivitem, validissima arma, celeberrimum triumphum. semper enim DEI manus majora largitur munera, quam mens nostra affectet.

§. 4.
Causa 2. ad
compro-
bandam
efficaciam
divini cor-
poris Cy-
rilli. l. 1. de
recta fide
ad Reginas

Tenuit deinde Dominus puellæ manum, ut divini sui corporis efficaciam manifestaret, quæ est D. Cyrilli pulcherrima ratio ita scribens ad Reginas: *quare non prius sicut apud Lazarum contentus fuit sermone ad resuscitandam puellam, sed tenuit manum illius? nimirum ut ostenderet vivificum suum corpus, corpus enim est vita.* quibus verbis eleganter alludit ad divini corporis communionem à qua vita procedit.

In cujus typum posuit DEUS in medio paradisi lignum vitæ, quod sic dictum est (inquit D. Damascenus in Gen. 1. v. 17.) *quasi habens operationem tributivam vitæ* non conferebat arbor illa vitam æternam, sed arborem Eucharisticam adumbrabat, ex qua permanentes æternæ vitæ fructus percipimus. Vidit Joannes Apocalypticus Ecclesiam militantem tanquam sponsam Christi sub civitatis sanctæ schemate, mirabili lumine præditam: *Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de caelo à DEO, habentem claritatem DEI, Et lumen ejus simile lapidi jaspidis.* Ap. 21. v. 11. cur lumen jaspidi potius, quam adamantini, topazio, carbunculo, sapphiro affimiletur, causam dat doctissim⁹ Sylveira, quia proprius jaspidis color est viror, viror autem vitam significat quam Ecclesiæ suæ confert Christus, cum eam ad vivificum corpo-

Sylv. l. 5. c.
35. in Evās
gel. q. 1.

ris sui pabulum admittit, ut viridis semper consistat, vividoque longæ vitæ flore exultet. per iaspidem Eucharistiam intelligit Andreas Cæfareæ Episcopus: *tanquam perpetuo virens cunctisque viventibus vitam largiens.* Mirabile quid observat Rupertus ad illa verba Gen. 35. v. 8. *Mortua est Debora nutrix Rebecca* quod nusquam in sacris litteris obitus Rebecæ legatur, cum tamen ceterarum sanctarum mulierum mors, putà Saræ, Rachelis, Judithæ diligenter annotetur: *Rebecca mors nunquam invenitur.* quid mysterii quoddam Rebecca non describatur mortua ac funerata? quia Eucharistiæ typum gestavit in manibus, cum Jacobo suo impetratura benedictionem panes filio in manus dedit: *deditque ei panes* Gen. 27. v. 2. per quos Eucharistia significabatur teste D. Ambrosio apud Lipom. *cibum utilem indicabat, quo futura erat remissio peccatorum.* cum itaque typum Eucharistiæ manibus gestavit, inter victimas mortis recenseri non debuit. & hinc causa Damasceni elucidatur, cur mortuæ puellæ manum Jesus dederit, ut vitæ pignus conferret, & vivificum corpus suum ostenderet. Humato Salvatore monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Matth. 27. v. 51. cur resurgunt mortui? an in contestationem suæ erga demortuum commiserationis? an in vindictam inimicorum? an in Dominici reverentiam corporis, cui locum imò loculum cedere reverentissime desiderant? respondeat Abbas Rupertus & causam edicat cur Sanctorum corpora surrexerint: Corpora illorum in monumento jacentia virtute Cibi hujus (de Eucharistia sermo est) non caruerunt: mox ut eodem ventre quo tenebantur & ipsa recepit corpus ejus. nam vir-

Apoc. 6.
v. 10.

tute hujus cibi factum est, ut multa ex ipsis resurgerent in testimonium futuræ resurrectionis. en quantæ virtutis ad vitam demortuis restituendam sit corpus Christi. Audivit dilectus Discipulus voces animarum sub altari gementium & vindictam exigentium: *usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum?* quid sub vindictæ nomine postulent, sanctissimè exponit D. Gregorius l. 4. moral. c. 4. *quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi resurrectionem extinctorum corporum desiderare.* cur autem non alio in loco quàm sub altari vota sua Deo pandant, in sinuat D. Augustinus Ser. II. de Sanctis: Rectè sub altari animæ Sanctorum requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. hoc nimirum resurrectionis cum sit pignus, convenientiùs nullibi sua deproment desideria, quàm subtus altare. Solenne erat primis Christianis in sarcophagum defunctorum panem vitæ deponere, tum ut corpora Sanctorum ab omnibus dæmonum ludibriis forent immunia, tum ut indubitatum resurrectionis suæ pignus capesserent. feliciter proinde actum cum Archisynagogi filia, quando in pignus vitæ Dominicâ contingi manu meruit & mox virtutem vivifici corporis perferens. dabatur olim sacra Synaxis non in os sed in manum dexteram, ut scirent se Eucharistico beneficio ad vitam manuduci & velut manu stipulatâ de beata immortalitate affecurari. Mortua Rachel, quæ Ecclesiæ sanctæ typum gerebat, in Bethleem sepelitur, quæ vox *domum panis* significat. Cur non potiùs in monte Oliveti, unde Salvator cœlum conscensurus erat, vel in monte Calvariæ, ubi acturus animam, vel prope electum Salvatoris sepulcrum in spem vitæ melioris humatur? quid Racheli am-

Gen. 35.
v. 19.

plius conferre potuit Domus panis, præ loco vitæ, sive sepulcro ubi JESUS revixit? nimirum semel è sepulchro redivivus prodiit JESUS, in domo panis autem, quæ est Eucharistia, quotidie reviviscit, novoque se exortu multiplicat; itaque vivaciorem immortalitatis spem nobis generat. Has nobis cogitationes suggerit D. Paschasius l. 2. in Balthasarem ita locutus: *Rachel figuram gerens Ecclesiæ ibidem sepulta legitur, ut in eodem loco plena requies ejus signetur, ubi Christus Panis vivus, qui de cœlo descendit quotidie exortu novo sinè defectu versatur.* Finiam hanc partem verbis Cyrilli Alexandrini l. 3. in Joannem c. 37. vivificat corpus Christi & ad corruptionem suâ participatione reducit: non enim alterius cujusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum potestate illius quo universa vivunt & sunt. Experta est hanc efficaciam puella, quæ à Christi contactu revixit, ideoque manibus dare lilia plenis Sospitatori suo potuit à cujus manibus omnem sibi emanare felicitatem & vitam perferens.

Tenuit manum puellæ, quia *nisi priùs mundatæ fuerint manus, mortua non surget* inquit D. Hilarius in cat. per manus opera designantur, & hæc Dominus priùs explorat, quàm ad vitam nos evocet immortalam. nisi manus puræ, opera videlicet plena fuerint, vitam beatam non speremus. sicut Isaac Patriarcha voce filii contentus non fuit, sed manum insuper exploravit, utrum duræ essent ac pilosæ; *Vox quidem vox Jacob est* mollis ac tenera, *manus autem manus sunt Esau* solidæ ac laboribus induratæ, ita Pater cœlestis non tam voces nostras in precibus ac promissis dulciter sonantes, quàm manus ac opera observat

§. 6.
Causa 3. ex
Hilario
quia ne-
minem ad
vitam glo-
riæ Chri-
stus susci-
tat, nisi pu-
ræ sint
manus.

Gen. 27.
v. 22.

ut

4. Reg.
10. v. 15.

ut benedictionem æternæ hæreditatis impertiat. & sicut Jehu Rex ad Jonadab dixit: *si est cor tuum rectum cum corde meo, da mihi manum tuam*, ita & JESUS Regum Rex uniuscujusque fidelis manum & opera inspicit, unde cordis colligat integritatem. Denique sicut non in oculos, non in linguam, sed in manus Patris moriens Christus commendat spiritum, ut ex illa nobis impetret digitum paternæ dexteræ, qui est Spiritus amoris ac vitæ, ita desiderat DEUS ut juxta Davidis oraculum, anima nostra sit in manibus nostris *anima mea in manibus meis semper*, hoc est ut operibus ipsis nostram erga DEUM fidem ac dilectionem comprobemus, itaque mereamur ad æternæ beatitudinis vitam die mundi novissimo resuscitari. Mundemus proinde manus, ut cum Archisynagogi filia nos JESUS manuteneat.

El. 118.
v. 109.

§. 6.
Causa
quarta ut è
manu Virginis
vires expellat.

Tenuit manum ejus. Lubricæ sunt mulierum manus & vix ab alio teneri possunt, quàm ab eo, qui potest facere mundum de immundo conceptum semine. Nullius viri manum Christus tetigit cum contulit sanitatem, mulierum verò duarum attigit manus, puellæ scilicet hodiernæ & socræ Simonis Petri, cum ab hac febrim pelleret, illam è manibus mortis eriperet. *Quæ necessitas tangendi erat, ubi inerat vis jubendi?* quærit D. Chrysostomus & respondet: *sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* lethales sunt mulierum manus, nisi divinæ manûs antidotum accedat, Manum mortifero foetam poma dedit Eva Adamo, & totam naturæ humanæ massam intoxicavit: ut Lothum non retraheret uxor, in falis statuam prius convertitur, quàm alloqui virum posset, aut manum

extendere. manum Putipharis uxor in Josephum innoxium extendit, & vel invitum in vitæ periculum cum in animæ non posset, arrepto pallio detraxit, at pallio relicto castus Ephebus profugit, nè virus ex veste in corpus serperet, & ex corpore in animum subintraret. prudentissimè Josephus vel à veste imò vestis filo cavendum sibi duxit, quod manus femina tetigisset, pendet vita & salus non raro à filo, quod mollioris manûs articulus inquinavit.

Denique tenuit manum, ut ostenderet se corporum Medicum, Virginum Sponsum, Angelorum Dominum, platen corporum, fidejussorem incorruptissimum. Tanquam fidejussor manum stipulat, illudque Siracidis tacitè inculcat: *gratiam fidejussoris nè obliviscaris, dedit enim prote animam suam.* Eccli. 29. v. 20. Tanquam plastes primævus plasma suum restaurat, ut cum Jobo puella repetat: *Manus tuæ fecerunt me & refecerunt me,* tanquam Angelorum Dominus manum apprehendit, cum Angelis velut servis pedes tangendos servandòsque commiserit, applaudente Psalte: *Angelis suis mandavit de te, in manibus portabunt te, nè forte offendas ad lapidem pedem tuum,* tanquam sponsus Virginum manum tenet Virginis, eamque pro anulo pronubo habet, aut pro anuli gemma hyacintho, quo manus divini sponsi redundant teste sponsa: *Manus illius tornatiles aureæ plene hyacinthis* tanquam thaumaturgus corporum medicus non quidem arteriam contactu explorat, sed contactu suo vitam confert & sanitatem elargitur. Fatalis quondam erat manus Domini sub qua ingemuit Jobus: *Manus Domini tetigit me!* & Azotum suspirat expirat-

§. 7.
Plures
causæ insi-
nuantur.

Job. 10.
v. 8.

Pf. 90. v. 11
& 12.

Cantic. 5.
v. 14.

Job. 19.
v. 21.

que: *aggravata est manus Domini*, impone manum tuam, & tuâ nos at nunc vitalis & plena gratiarum imple benedictione. est, postquam manus suas stringi fasciis, imò & funibus ligari clavó- que perpeffus est perforari, ut ad conferendas mortalibus gratias sese obligatum testaretur, tótque gratiarum maria in humanum genus profunderet, quot divini cruoris guttæ ab inexhausto Amore prolicitæ emanârunt: Tangant nunc nos benignissime Salvator teneântque manus tuæ, in quas nos totos projicimus, omnémque beatæ immortalitatis spem reponimns, & cum Archifynagogo ardentissimè deprecamur: impone super nos manum tuam & vivemus! impone manum tuam, & operi quod operatus es in nobis supremam imponens manum perfecti dicaris Author operis,

imponere manum tuam, & tuâ nos imple benedictione.

Coronemus hoc Problema Emblemate Manuali, quo Jupiter in cœlo anulum manu tenet, quem frustra Dii omnes conantur extorquere cùm lemmate sacro: *nemo, qui de manu tua possit eruere.* In terra verò Hercules Clavam manu ostendet, quam nemo Gigantum abstrahere valet: *quis eripiet?* Ah servet nos in manibus suis DEUS, in quibus descripsit nos, & non tantùm vitam, felicitatem, salutem habebimus in manibus, sed ipsa nos Felicitas pro Anulo, imò Anuli gemma habebit in manu.



PRO-